



70

*an geb. 8* 8<sup>a</sup>

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI IN AVGVRALIS,  
DE  
**ROMANI IMPERATORIS**  
**MAIESTATE**  
PRAECIPVE  
**REALI ET PERSONALI,**

Q V A E

S V B P R A E S I D I O

**GVIL. HIERON. BRVCKNERI,**

CONSILIARII SAXON. PANDECT. PROF. P. ORD. CEL.  
CVRIAEC PROVINC. FACVLT. IVRID. ET SCABIN.  
ASSESSORIS GRAVISSIMI,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
LEGITIME CONSEQUENDI,

ERUDITORVM EXAMINI SVBIECIT  
**MATTHIAS NICOLAUS Braunt,**

THVRINGVS,  
D. X. FEBR. A. CIO IO CC VI.  
IENAE HABVIT,



---

I E N A E,  
REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1757.





*I. N. D. N. I. C.*

S. L.

**O**riginem Majestatis nonnulli inquirentes, duce *Festo*, à magnitudine student derivare. Aliis, *Altibus* vestigia prementibus, Majestas quasi *major status* seu ampli-  
tudo & magnificentia in *Republica* dicitur, qui-  
bus *Alberic.* *Gent.* *ad L.* *Jul.* *Majest.* *D.* *2.* *Bornitius*  
*de Majestate*, *Goldastus de Majoratu* *L.* *2.* *c.* *6.* *n.* *5.*  
adstipulantur. Propius *Card.* *Tuscb.* *pract.* *con-*  
*clus.* *jur.* sub voce *Majestas*, & *Egid.* *Conf.* *15.* *n.* *7.*  
accedunt, rem magis, quam nativam vocis signifi-  
cationem pensantes, Majestatem quasi *majorem*  
*potestatem* dici statuentes. Nos vero cum illis fa-  
cimus, qui *Becmanni*, quoad rem quidem non  
longe

longe à *Tuschii* placito abeuntis, subscribunt sententiae, originem à *majus* petentes (sicuti à tempus tempestas, à vetus vetustas, natales suos trahunt) major quippe in majestate, quam in aliis, potestas relucet.

§. II. Majestatis vocabulo *Deus*, qui omnis terrestris Majestatis fons & scaturigo, insignitur L. 32. §. 4. ff. de recept. qui arbitr. *Gentiles Deae* cuidam à Reverentia matre, & Honore patre oriundæ, Majestatis nomendonabant, de qua eleganter *Ovid. L. 5. Fast. Eleg. 12.* ita canit :

*Donec Honor placidoque decens Reverentia  
vultu*

*Corpora legitimus imposuere thoris.  
Hinc sata Majestas, que mundum temperat  
omnem,*

*Quaque die partu est edita, magna fuit.*

Imperatoribus Majestatis titulum assignari ex pr. prœm. J. constat. Primus Imperatorum, qui Majestatis nomine usus, fuit Gallienus teste *Besoldo in Diff. de Majestat. in genere* §. 2. *Consulibus, Prætoribus* L. 11. de J. Et J. hoc nomen tributum fuisse legimus. Rebus tandem inanimatis ex Cicerone aliisque adscribi etiam constat.

§. III.

¶ 5 ¶

§. III. Majestatem duobus modis, *concrete*-  
*tive & abstractive* considerari posse constat: *ab-*  
*stractive* facultatem seu potestatem in Republica  
 summam non habito respectu ad hoc vel illud sub-  
 jectum, *concrete* autem, supremam potestatem,  
 quatenus huic vel illi subjecto inhæret, denotat.  
 Illa Philosophi quoque, qua Politici, considera-  
 tionem subit; Hæc, Juris Publici Doctoribus  
 convenit, quam hic ventilare placuit.

§. IV. Multis aliis phrasibus Majestas indi-  
 gitari consuevit, eruditus *Casaubono*, Majestatis vo-  
 cabulum ex illis, quibus nullum par aut ex *a quo*  
 respondeat, demonstrante: nam græcam lingvam,  
 alias fertilem & fœcundam vocabulis, hic quoque  
 deficere, post *Cæs. Scalig. Bækl. in Inst. Pol. L. II.*  
*C. i. p. m. 89.* notavit. In Hebræo idiomate fere  
 concordat cum Majestate וְהַנִּזְבֵּחַ de quo Patriarcha  
 Israel *Gen. XLIX. 10.* loquitur, ubi metonymice  
 signum pro signato ponitur: dicitur enim sum-  
 mum Imperium, summa potestas, Imperium ma-  
 jestaticum *juxta Zieglerum.*

§. V. Ne vero iusta longiori ambage uta-  
 mur, proprius ad causæ arcem accedamus, hoc §.  
 Majestatis essentiam ac naturam venaturi. *Ari-*  
*stotelii autem, Philosophorum facile Principi, Ma-*

jestatem L. 3. Pol. c. 5. definienti, assensum præbemus: κύριον μὲν γὰρ πανταχθὲ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως, b.e. *majestas* est summa in civitate ubique potestas. Falso itaque Bodinus, vir Imperio nostro Romano-Germanico infensissimus, Philosophos pariter ac JCtos Majestatem nunquam definiisse L. 1. C. 8. de *Republ.* gloriatur.

§. VI. Traditæ definitionis explicationem, quam Dn. Schuvederus in introductione ad *Jus Publ. p. g. c. 2. n. 19.* suppeditat, ut succinctam & nervosam, pace Illustris vii, nostram hic facturi. Dicitur autem in thesi (1) summa scil. in genere potestatis humanae & negative, quatenus nulli alii potestati humanae subjicitur; *Majestas* enim seu potestas positive sumta, i.e. cuius omnes aliae potestates humanae subordinatae sunt, nec datur, nec ob imbecillitates generis nostri dari potest. (2.) In Civitate, hæc subjectum Majestatis constituitur; est autem subjectum ejus mediatum seu remotum saltem, proximum vero & immediatum sunt in monarchia Princeps, Aristocratia optimates &c. (3.) Ubique vocabulum hoc non in ordine ad locum; sed in ordine ad objecta, v.g. Leges, Magistratus, Monetam &c. accipiendum est. (4.) Summa potestas, hæc genus definitionis proximum absolvunt; Atque exinde

exinde Principem, legibus §. f. quib. mod. test. infirm. civilibus scil. non vero naturalibus & divinis solutum elicitur: quis enim illi, qui summum in Republ. agit, qui non impediri, non judicari ullo potest arbitrio, Leges ferat? quod & Aristoteles L. 4. Pol. c. 10. auctoritate sua confirmat.

§. VII. Per celebris, quæ ab omnibus fere pertractatur politicis, est divisio Majestatis in *realēm & personālēm*: Hanc Imperanti, illam Imperio adstruunt. Majestatem realēm ipsi Imperio perpetuo inhærere, eique coævam esse, nec per decessum Monarchæ una exspirare; Sinolt. Schutz.

D. 3. §. 5. Majestatem vero personālēm Monarchæ solum personam respicere, quacum concidere quoque & ex qua in aliam personam possit transferri contendunt. cit. auth. §. 9. Atque hanc Lege Regia, cuius §. 6. J. de J. N. G. & C. mentio fit, à populo Rom. in Imperatores, solam esse translatam, non accurate Besoldius Diff. de Majest. in gen. C. i. & Schutz. D. 3. 9. B. afferunt.

§. VIII. Arduam tamen maximeque spinosam hic ordimur quæstionem: etenim Monarchomachis & Regicidis, si non tensu seniori divisionem hanc interpretabimur, fibulas laxabimus: hi enim Reges & Principes impune violari posse abs-

absque "Majestatis, quæ Regno proprio inhæret; violatione, adstruere non erubescunt *Bœcl. in J. Pol. L. 2. c. 1.* quo itaque sensu recipienda, quo re- jicienda, seqq. §§. demonstraturi.

§. IX. Præcipue autem quæstio, utrum in rerum natura talis Majestas detur, nec ne? se eno- dandam offert. Plurimi affirmantibus dextram injiciunt, vulgari illa formula moti: *In Unserer und des Heil. Reichs Stadt, Althusius in Polit. c. 19. n. 3.* & cum ita vulgaris locutio in crimen Majestatis læse, *Die wider Uns und das Heil. Römi- sche Reich gehandelt, obseruetur Besold. in dissert. de Maj. c. 1. §. 4.* in fine: cui quoque *Jus Civ. §. 3. J. de publ. Jud.* ubi Lex Julia Majestatis in eos, qui contra Imperatorem vel Rempubl. aliquid moliti sint, vigorem suum extendere dicitur, suffragari videtur. Tandem ex eo deducere conantur, quod is, qui velit alteri aliquid tribuere, ipse quoque il- lud habeat, cum nemo plus juris in aliud transfer- re possit, quam ipse habeat: necessum hinc esse, ut populus, æque ac Imperans, Majestate polleat, quæ realis dicatur.

§. X. Negantium vero tubam sectantes, contradictionem, distinctionem in realem & per- sonalem Majestatem, involvere asserunt. Dis- sen-

sentientes enim Superiorem Majestatem persona-  
li, communiter statuunt realem, *Cellarius in Polit.*  
*c. 7. §. 20.* Si igitur personalem quoque volunt  
Majestatem esse, ex propria ipsorum opinione,  
Majestas hæcerit Majestas, & non erit: erit Ma-  
jestas, quia ipsis agnoscitur talis, non erit Majestas,  
quia sic agnosceret superiorem, nempe Majesta-  
tem realem: Impossibile autem est, simul esse &  
non esse.

§. XI. Verum enim vero nos, sententiaz isti,  
plane distinctionem in Majestatem realem & per-  
sonalem, rejicienti, vel afferenti non subscrivimus;  
sed sub grano aliquo salis illam admittendam cen-  
semus, ita scil. ut Majestas realis potestatem in res  
& personalis in personas denotet; atque hanc non  
solum in statu Monarchico deprehendi, utraque,  
nempe reali & personali Majestate, Imperanti in-  
hærente, ita ut non nisi ratione, Majestas realis à  
personalis abstracta sit: in Aristocratia vero distin-  
ctione hac uti possumus, si respectum potius ad  
Optimates coniunctim sumtos quam ad individua  
singula habere velimus. *Perillus tr. Dom. L. B. de*  
*Lyncker in not. ad Bæclerum L. 2. c. 1.* In Demo-  
cratia affirmantium quidem opinione, nisi sibimet  
ipsis contradicere velint, distinctio illa, sicuti supra

B

§. VII.

§. VII. facit exposita, locum non inveniet, cum utriusque Majestatis hic unum solum subiectum comprehendatur. *Bæcl. in Pol. L. 2. c. 1. p. 95.*

§. XII. Ad afferentium opiniones respondemus: 1.) Quod admodum vacillet consequentia, si dicatur: In Unserer und des Heil. Römischen Reichs Stadt, E. Majestas realis & personalis realiter distincta ad invicem datur. 2.) Licet illi, qui contra Rempubl. aliquid moliti sunt, criminale læsa Majestatis rei dicantur, ex hinc tamen non recte infertur, quod Majestate reali polleat: In Electores enim & S. R. I. Principes crimen læsa Majestatis committitur, in hos analogice, in illos subjective, cum tamen proprie Majestatem non habeant, uti statuit *Perillustr. Dn. B. de Lyncker in Annal. ad Schvved. P. S. Sect. 2. c. 2. §. 10.* 3.) Hic plane non sequitur, quod is, qui alteri aliquid confert, ipse quoque hoc gaudeat; regula enim allata, quæ in naturalibus verissima, in naturalibus admodum fallit.

§. XIII. Si igitur Monarcha decebat, Majestas, qua gavisus fuerat, cum sacratissima persona terminatur & extingvitur, nec ad populum reverti necesse habet; cum enim populus semel Majestatem Imperanti contulerit, recipere eandem non potest:

potest: nam qui semel suo juri renunciavit, illo denuo uti nequit. Interim tamen jus de novo conferendi *Majestatem* successori rursus consequitur, atque idem in interregno obtinere statuendum.

§. XIV. *Majestatem* porro vel *ecclesiasticam* vel *secularem* esse, maximopere illi, sub vexillo Pontificum Rom. militantes, & Papæ Imperium, quod metaphysicum appellat *Pauermeister de Jurisdictione*, tribuentes, contendere videntur, à quibus ex arce Tarpeja Gregorii VII. temporibus hæ prodierunt regulæ: Papam esse Imperatorum Imperatorem, Regum Regem, ac Dominum Dominantium, *Dn. Schuved. in J. P. p. g. c. 1. §. 8.* Pontificis hujus Jurisdictionem agnoscere tam horizontem, quam omnes terminos, sive montium, sive marium, & ipsas anni solisque vias, pertendunt *Job. V Voterus.* In hujus Superioritatis & *Majestatis* recognitionem testificationemque, pontificios pedes osculari omnes Reges diserte asserit *D. Marta de Jurisdictione p. 1. c. 46.* Enimvero sive *Majestatem* ecclesiasticam, ut potestatem circa sacra, sive ut administrationem sacrorum consideremus, eām Papæ de jure divino non competere, statuimus.

§. XV. Nova nunc se exerit divisio, cum *Majestas* vel *proprie* vel *analogice* consideranda veniat, illa §. 5. definita fuit: hæc propter analogiam seu similitudinem, quam cum *proprie* dicta habet, talis modi nomen sortita est; Posteriori hoc *Majestatis* genere Status S.R.I. qua tales utuntur *Dn. Schuved. P. 2. S. 2. c. 10. §. 2.* unde & potestas eorum *Majestatis* æmula à *Schuvedero P. S. sect. 2. c. 10.* describitur: *Majestas* autem *proprie* sic dicta, soli in Imperio nostro Imperatori, à Viris quibusdam summis, vindicatur. Cæterum potestas hæc S.R.I. Statuum, sub nomine Superioritatis territorialis communiter venit, quam tamen admodum late patere, ex eo elucelcit vulgari: Tantum potest Princeps in suo territorio, quantum Cæsar in Imperio. *vid. Dn. Schuved. c. l. §. 4.* Quamvis autem ab arduæ hujus controversiæ decisione, nostra tenutas nos ultro prohibeat: in eo tamen non errabimus, si Status Imperii universos cum Cæsare subjectum Majestatis commune & Sacratissimum Imperatorem subjectum proprium appellemus. *Per illustr. Dn. L. B. de Lyncker in Anal. ad Schuved. p. 9. c. 4. §. 49. in fin.*

§. XVI. Majestatis in *limitatam* & *absolutam* divisio supereft; Majestas limitata dicitur, quæ

quæ ita circumscripta est, ut sine alterius consensu quædam agere vix valeat magni momenti negotia. Majestas absoluta vocatur, quæ absque prærequisito alterius consensu libere agit. Conspicuum hujus divisionis exemplum Imperium nostrum S. R. præbet, ubi majestas Invictissimi & Augustissimi Imperatoris ita limitata est, ut S. R. I. Status, tanquam causa sine qua non ad quædam negotia concurrant. *Magnif. Dn. Consil. Frisius J. C. tis celeberrimus in discursu ad Schuvederi Jus Publicum.* Subjectum Majestatis absolutæ, Monocratoris titulo insigniri consuevit.

§. XVII. Cum vero Majestas sit totum potestativum *Dn. Schuved. in Jur. Publ. P. G. c. 2. §. 19. Cellarius in Polit. c. 7. §. 26.* (Hinc Bortius describere mavult Majestatem per fasciculum seu compagem potestatum in *Disc. de not. Jur. Maj. c. 1. conclus. 2.*) quod partibus suis potestativis gaudet, ita, ut earum nulla auferri possit ex toto, ut non Majestas esse definita integra, saltim objectum tale in Republ. reperiatur, in qua summa potestas seu Jus Majestatis unum alterumve exerceri possit. *conf. Perillustris Dn. L. B. de Lyncker ad Bæcl. Inst. Pol. L. 2. c. 1.* Exinde Majestatem male totum per aggregationem dici clucescit, quia uno in hoc per-

ēunte, tōtum aggregativum non interit, quod longe aliter in toto potestativo accidere afolet : Partes itaque potestivas Majestatis ad obrusam nunc vocare, non abs reputamus, quas rudiori penecillo seqq. §§. adumbrabimus.

§. XVIII. Partes autem potestativæ, vulgo Jura Majestatis &c. appellatæ, juxta *Lampad. de Rep. R. G. p. 1, §. 15. & seqq.* vel circa res sacras vel profanas, & hæ vel circa civiles vel bellicas, versantur.

§. XIX. Jus rerum sacrarum, quod & Jus Majestatis ecclesiasticum, seu potestatem circa ecclesiastica regiam atque politicam dicunt *Dav. Pareus de potest. Reg. contra Papam summæ adscribere potestati cum Arnold. Clapmaro L. 1. c. 15. de Arcanis Imperii haud veremur ; cum necessitas sane & utilitas Reip. vix aliud invadere possit : hinc & priscis temporibus Pontificalem cum summa Imperatoria dignitatem ex P. Gregor. Tholos. L. 15. c. 3. §. 10. de Republ. conjunctam fuisse, compertum habemus.* Hoc & Status Protestantes haud fugit, qui ministerium, seu potestatem ecclesiasticam internam, clero suo relinquunt, reliqua vero sibi & regimini vindicantes. *Dn. Carpzov. Jurispr. Consist. L. 1. T. 1. D. 2. n. 13. seq.* Jus rerum sacrarum præcipue

cipue versatur 1) in convocatione conciliorum universalium, 2) in potestate seu jure ordinandi ac reformandi religionem, quamvis admodum cautè hoc in passu procedendum, 3) in potestate circa externos ritus & ceremonias ecclesiasticas disponendi, 4) in jure ministros ecclesiæ vocandi, 5) circa jus scholas publicas erigendi & constituendi, 6) in jure ecclesiastis visitandi, &c. *vid. Carpz. ad L. Regiam C. 3. § 3. Consist. L. 1.*

§. XX. Non solum autem circa sacra potestas hæc lūprema occupatur ; sed ulterius etiam in civilibus seu profanis se exerit : competit enim illi Jus Legum ferendarum, imo ipsas leges Molai- cas forenses leponendi potestas, quatenus Reipubl. non congruunt. *Perillustr. Dn. B. de Lyncker ad Bœcler. L. 2. c. 3.* Quamvis quidem ea, quæ scilicet ad causam religionis spectant, mutari nequeant ; ast cum ad distributionem bonorum & juris pertin- nent, mutationem nihil impedit. *Cæppen. in Usu- pract. Inst. L. I. obs. 72. n. 18.* Rationes, cur hæc potestas summæ adscribatur potestati, *Bœcl. in Inst. Pol. L. 2. c. 3.* fuisse suppeditat.

§. XXI. Cum autem lex sine executione campana sine pistillo audiat, Majestati eminenter & virtualiter, jurisdictione in laxiori significatu, qua- tenus

tenus triplici roborata vinculo, Jurisdictione scilicet in specie sic dicta, mixto & mero imperio, competit, quæ tamen per participationem magistratibus communicari potest. Jurisdictio in specie sic dicta, publicam potestatem de causis civilibus cognoscendi denotat *Tabor in disput.* *VVesenb. D. 2. Q. 1. E 2.* Cum vero terminus hujus sit lata sententia, exequendi potestas admiscetur, quæ idcirco mixtum dicta Imperium, quæ solum in potestate Jurisdictionis sententiam exequendi terminatur cit. Aut. de tortura & indicis Delictorum c. 3. §. 6. Non solum autem causæ civiles, sed etiam criminales in Republ. emergunt, hinc potestas circa causas criminales accedit, quæ merum dicitur Imperium. Atque hoc rursus vel in cognitione de criminalibus vel in animadversione occupari potest. vid. *Dn. Tabor in Disput.* *VVesenb. D. 2. qu. 5.*

§. XXII. Ista jam Majestatis persona, tanquam omnibus negotiis impar, jure magistratus passim in Republ. constituendi uitur, quo modo multos oculos, longas manus, multas aures habere Aristot. L. 3. c. 12. Polit. meminit. Magistratum in Ecclesiasticum & Politicum, hunc in maiorem & minorem communiter dividere solent: à quibus tamen consiliarii magistratum distinguen-

gvendi, cum proprie & stricte loquendo magistratus talutari nequeant, taltem enim ut instrumentum quo concurrunt.

§. XXIII. Cum autem Majestas potestate gladii in facinorosos animadvertisendi gaudeat (ita enim merum Imperium appellatur *L.3. ff. de Jurisdict.*) accidit quandoque, ut non semper rigor juris observari debeat, hinc ipsi jus tollendi & mitigandi poenas, quod jus aggratiandi dicitur competit: debet tamen hoc non indistincte, sed justa & sotifica causa suffultum usurpari, sic in blasphemia, homicidio &c. vix procedit. *vid. Dn. Schuved. P. S. S. 2. c. 14.*

§. XXIV. Hæc de juribus Majesticis circa res sacras & profanas sufficient; si paucissimis potestate circa militaria & ejus consequens delibaverimus, quæ communiter jus belli & pacis laudantur. Hoc jus, cum maximopere Reipubl. ab exteris defendi hostibus intersit, apud Superiorum residere necesse est, cum lites alias oriundas nemo decideret, quia belligerantes neminem agnoscunt judicem, nisi Deum & gladium. Privatis vero adeundus est judex ordinarius, qui lites dirimat, & si bella moverint, non justa bella, sed latrocinia dicuntur, ipsique latrunculi audiunt, *arg.*

C

L. 24.

L. 24. ff. de captivis & postliminio. Bene tamen  
jus Armandiæ ab hoc jure separandum, hoc enim,  
ut jus belli, non æque late patet, vid. Perillustr. Dn.  
B. de Lyncker in not. ad Bœcler. L. 2. c. 7.

§. XXV. Hoc belli jure gaudens, fabricas  
armorum bellicorum, armamentaria, Zeughäu-  
ser, quæ Armandiæ vel Armaniæ à Feudistis nomi-  
nantur, fortalitia exstruere, collectas universales  
indicere potest &c. Ad hoc jus porro delectus  
militum, jus metatorum, Soldaten Werbung  
und Einquartirung, jus Fœderum pangendorum,  
Allianzen zu machen, & tandem, perfunctis bellis  
laboribus & molestiis, exoptatissimum jus pacis  
spectat.

§. XXVI. Aliis adhuc juribus summa uti-  
tur potestas, ut sunt, monetæ cuderæ, vectigalia  
constituendi, mineralium, conferendi dignitates,  
tributa exigendi &c. Sed longum foret, & à sco-  
po nostro alienum, imo fere impossibile, omnes  
singulatim species enumerare, cum in dies plures  
possint accedere Perillustr. Dn. Baro de Lynck. in An-  
not. ad Bœcl. L. 2. c. 2.

§. XXVII. In sacro Imperio nostro Roma-  
no-Germanico quædam Majestatis jura Imperator  
absolute, sine Electorum aut aliorum Statuum  
con-

consensu exercet, quæ videoas apud *Dn. Schuveder.*  
*P. S. S. I. c. 4. §. 5.* in quibusdam Electorum Colle-  
 gium in consilium vocat *cit.* Aut. *§. 7.* in quibus-  
 dam præter Electorum Collegium, omnium Sta-  
 tuum consensum adhibere debet Imperator *cit.*  
*Aut. §. 8.* ubi singulatim jura Majestatis recenset.

§. XXVIII. Subiectum nunc, cui jura Ma-  
 jestatis competunt, in nostro Imperio est *Impera-*  
*tor Romano Germ.* perpetuo Augustus. Quon-  
 dam Imperatoris titulo, qui ab imperando ortum  
 suum trahit, ii potissimum, qui felici sidere exerci-  
 tum ducebant, aliquot hostium millia in acie pro-  
 straverant, atque repentina sagitorum acclamati-  
 one condecorabantur, & tum in fascibus tum in li-  
 teris, quas in urbem mittebant, lauream usurpa-  
 bant. *Barnab. Brisson. de form. L. 4.* *Tacit. L. III. c.*  
*74. Annal.* Postea Julii Cæsaris, instauratoris Ro-  
 manæ Monarchiæ, exemplo factum est, ut sacra si-  
 simum Imperii nostri Romano Germanici Caput  
 perpetuo hoc nomine utatur; *Suetonius enim L. 1.*  
*c. 76.* *Julium Cælarem, prænomen Imperatoris,*  
*cognomen Patris Patriæ recepisse, scribit.*

§. XXIX. Præter alia Synonyma, *Cæsar,*  
 à Julio Cælare, qui nomen hoc à majoribus suis  
 adeptus fuit, *Henning. in Theatr. Geneal. Semper*

*Augustus, Allezeit Wehrer des Reichs, vid. Limn.  
T. I. L. 2. c. 1. §. 30. seqq. Germ. Der Römische Käy-  
ser: Qui vero primi, voce Käyser, & Römischer  
Käyser, usi sint, Limn. c. 1. §. 25. & seq. tradit, lau-  
tatur. Rariores appellationes Imperatoris, quod  
dicatur Administrator, Procurator & Tutor Imperii,  
Des Heil. R. R. Verwalter, Pfleger und Vor-  
mund, uti post Limn. ad Capit. Carol. V. Schu-  
vvederus P. S. S. I. c. 1. §. 7. esse affirmat. Advocatus  
ecclesiae, quatenus ejus defensor universalis, Recess.  
J. de A. 1512. §. 1. Und nachdem. quoque appella-  
tur. Illustr. Dn. Strykius in exam. J. F. c. 4. §. 41.*

*§. XXX. Dn. Schuvederus in J. P. P. S. f. I. c.  
I. §. f. Imperatorem sita describit: Est Summus  
Princeps, qui secundum constitutionem A. B. Ca-  
roli IV. ab Electoribus legitime electus, Imperio  
Rom. Germ. tanquam caput præst, & ad LL. in  
Capitulatione definitas imperat. Vel secundum  
Limnaeum L. II. c. 2. §. 1. Imperator est persona ha-  
bilis, A. B. C. 2. §. 1. & 3. Illustri familia Germanica  
orta, vid. Arumaeus ad A. B. C. 2. §. 3. de Jur. Publ.  
Discurs. VI. Petr. de Andlo. tr. de Imper. Rom. L. 2. c.  
3. Sim. Pistor. conf. I. n. 2. & seqq. ab Electoribus  
secundum LL. Imperii electa, ut Reipubl. Roma-  
no. Germ. tanquam caput & Administrator legitimi-  
me præsit. v. A. B. C. 2. §. 5.*

§. XXXI.

§. XXXI. Extra ordinem præterea, in Imperio nostro Rom. Germanico, vitali aura Imperatore adhuc fruente, Regem Electores Romanum eligere solent, qui absente vel impedito Imperatore, hoc mandante & volente, *Arum. ad A. B. Disc. 3. §. 31. p. m. 153.* Imperium regat ac moderetur, & Imperatore è vivis sublato, ad clavum Imperii sedeat, cuius electio extraordinaria dici consuevit, *vid. Dn. Schuvederus P. S. S. I. c. 3. §. 1. seqq.*

§. XXXII. Electus nunc Romanorum Rex Majestatem eandem, cum ipso Imperatore, sortitur & saltim exercitium Majestatis, agere Imperatore valente & volente, ipsi denegatur. *vid. Perilustr. Dn. B. de Lyncker ad Dn. Schuved. P. S. S. I. c. 3. §. 8.* Atque hinc, cum jus Majestatis in Rege Roman. radicetur, mortuo Imperatore, alia confirmatione, ut Imperatoris nomen sortiatur, opus non habet. *Arumæus ad A. B. Disc. 2. §. 21. inf.*

§. XXXIII. Neque tamen plane, ab Imperatore, Regem Rom. non differre, nobis persuadeamus; nam 1) nomine discernuntur; Ille enim Imperatoris, hic Regis insigniri consuevit *Petrus de Andlo L. 2. c. 5. de Rom. Imper. 2) D. Martha p. 1. 21. n. 25. de Jurisdic. aliquae Imperatorem Bulla,* Regem Romanorum sigillo tantum uti tradunt.

C 3

3) Rex

3) Rex Roman. electus, in insignibus Aquilam simplicem, Imperator vero bicipitem gerit, *Marquard. Freber. in not. ad Petr. de Andlo d. c. & sic Aquila biceps Imperatorem & Regem Romanorum representat Perillus tr. Dn. L. B. de Lyncker in Anal. ad Schuved. P. S. S. 1. c. 1. §. 16.* 4) §. Præced. Imperatorem jure & juris exercitio, Regem vero Roman. Majestatis solum jure gaudere dictum fuit.

§. XXXIV. Re ipsa haetenus utcunque libata, rei modum tanquam coronidem, quem alias hic medium ad finem propositum perveniendi appellant, Dissertationi super imposituri. Modus autem ad Majestatem perveniendi, non unus repetitur: est enim vel violentus, vel non. *Violentus* fit per occupationem, quæ rursus vel justa vel inusta esse potest. *Pufend. de J. N. & G. L. VII. c. 7. §. 3.* & 4. *Non violentus*, quando quis regni habens, velelectione vel successione, capessit. *Electio* est vel libera vel restricta: *libera* dicitur, quæ citra ullam exceptionem peragi potest: *restricta*, quæ non nisi ex certa natione, familiave, aut certa qualitate præditum designare potest. *Pufendorf. l. c. §. 6.* Atque hæc rursus duplex esse potest: absolute & secundum quid restricta: *absolute restricta* est cum omnia enarrata requisita observari debent: *secundum*



http://digital.slub-dresden.de/PPN35058981X/25



secundum quid restricta, quia ex certa natione, certaque qualitate personam præditam eligere debent: nam 1) Imperator debet esse ex Germania oriundus vel saltim patre vel avo Germano status, uti supra §. 30. dictum, 2) mas non fœmina &c. esse debet. Idoneitatem ac habilitatem ulterius tradit *Dn. Schuvederus P. S. S. I. c. 2. §. 4.*

§. XXXVI. Eligendam Personam eligentes excipiunt, qui juxta A. B. constitutionem sunt Collegium Elector. quod A. B. temporibus VII., hodie IX. personis adornatur, quæ vel ecclesiasticæ vel seculares sunt. Electores ecclesiastici tres sunt Archi-Episcopi, Moguntinus, Trevirens. & Colonensis, quorum Moguntinus Imp. Archi Cancellarii vices sustinet A. B. C. 2. §. 2.3. Secularium Ordo sex Electoribus adimpletur, Bohemo, Bavarо, Saxone, Brandenburgensi, & Palatino, quibus accessit 1692. Dux Brunsvigo-Luneburgo-Hanoveranus.

§. XXXVII. Locus electioni antiquitus destinatus Francofurtum ad Moenum est, vid. A. B. c. 7. §. 18. c. 28. §. 5. qui tamen justas ob causas, communis Electorum consensu, declinari potest. A. B. c. 28. §. 5. inf.

§. XXXVIII. Cætera solennia præcipue in Coronatione passim in Juris Publici scriptoribus reperire licet.

SOLI DEO GLORIA.

im Buch lassen

**Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!**

7.A.2182

